



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 8. Concordiæ pacta inter Fœderatarum Provinciarum Ordines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul XVI.
A C. 1579.

§. VIII.

Concordiæ pacta inter fœderatarum
Provinciarum Ordines.Thuan. l. c.
Strada de
bello Belgico
l. 1. 2. Decad.

Die vigesima tertia Januarii eodem anno fœderatarum Provinciarum Ordines Ultrajecti unionis pacta inibant, quibus Regis Hispani auctoritas in hisce Provinciis plurimum firmabatur: hæc autem pacificatio viginti sex complectebatur articulos, ex quibus tertius decimus etiam urbes, ac Provincias Religionis Catholicæ addictas hujus fœderis participes reddebat, ea tamen lege, ut nil patriæ salutis adversum molirentur. In decimo quinto articulo de Religiosorum, qui relicto suo instituto ad Protestantium sectam transierunt, sustentatione actum, declaratumque est, quod tunc, si forte sua bona repetere judicum ope quærerent, Ordines de hoc certiores fierent, eorumque decilio expectaretur. Porro huic Fœderi Gandavenses, Yprenses, Antverpienses, Brugesenses, Sylvaducenses, Oranius Princeps, & Frisiæ Gubernator subscribebant: ægerrime autem Hispaniæ Regis obsequio sese subiciebant Gallo-Belgiæ Provinciæ, tandem vero, & illæ omnes post varia reconciliationis consilia sese submittebant, exceptis Tornacensibus, & Turnesinis, qui æque, ac

Ca-

Cameracenses, & Bunienses huic fœderi accedere renuebant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. IX.

Antverpiensium tumultus ob publicam supplicationem.

Sub idem tempus Antverpiæ oriebatur tumultus non sine funesto exitu; quippe Catholici percelebrem sacri Ordinis supplicationem in solemnī festo ascendentis in cœlum Domini instituebant, quam comitabatur ingens cum ipso Archiduce Catholicorum multitudo, mox vero conglobati aliquot Calviniani, assumpta secum sclopetariorum manu, primum incedentibus viam obstruunt, ubi vero Catholici obstantium turbam submovere, ac vi aditum aperire cœnatebantur, Calvinistæ sclopetis in pectus intentatis, & mox explosis duos illico interficiunt, atque alios alio fugant, agmen supplicantium dissipant, plerosque in templum cum Archiduce compellunt, concluduntque: insuper rebelles hæretici gliscente, ut fit, ex successu licentia, partim templi fores armati obsident, partim per urbem, dissonis vocibus pellendos urbe sacrificulos conclamant, atque Archiduce, magni veluti beneficii loco, e sacris ædibus abire permisso, reliquos non ante egredi patiuntur, usque dum Canonicorum,

*Strada Es
Thuan. l. 6.*

Mo-